Mors ſpiritualis à corpore mortis.

ritur. Homo exterior moritur morte, qua corpori deficit forma naturalis vitæ. Homo interior moritur vitâ, licèt corpus conſtet vivificante formâ; quia mors illius oritur à morte corporis, ſeu interitu carnis, & mors illius tantùm à corpore mortis. Modò infelicitatem perpende, & infelicitatis medicamen. Infelicitas eſt mors, & medicina vita. Ubi igitur medicamen inquirit vitæ? In vita? Minimè: in gratia. *Quis me liberabit? Gratia Dei*, ſubdit. Gratia Dei, quæ vita vitæ, vindicat vitam à morte. Vivitur vitâ? Nullo modo: duntaxat vivitur gratiâ. Vivimus, ſi plenè vivimus: vitæ obtinemus plenitudinem, ſi in naturali vita vivitur ſecundùm hominem interiorem. Paulus de homine ſpirituali querulus loquitur, & vita plena duntaxat gratiæ tribuitur: ſiquidem ſpiraculum vitæ in homine non eſt vita, dum ſubtrahitur gratia, viventis forma.

verſ. 25.

Spiraculum vitę nō eſt vita, ſi ſubtrahitur gratia.

Clarius ergò. Paulus etiam dum vivit, aſtruit mortem, exprimens vitalis mortis ingenioſam tyrannidem. Haud queritur de morte corporis, iuſto, vel amaritudine placida; ſed de corpore mortis, in quo iuſtiori voluptatibus dira: ideo ut acquirat mortis huius libertatem; ad gratiam accedit, non ad animam viventem. Anima vivens neceſſaria eſt, ut liberemur à morte corporis. Gratia verò ut vindicemur à corpore mortis: & Paulus infelix (propter carnis & ſpiritus pugnam) ſolicitans libertatem & vitam, gratiæ implorat auxilium & non vitæ; quia interior non vivit ſine ſpiraculo gratiæ.

Homo nō vivit ſine ſpiraculo gratiæ.

5 Quot igitur vivunt? Neſcio. Quàm multi non vivunt? Scio. Vitam agunt inſenſatè, & vitâ moriuntur; ſiquidem havent vitam, & non gratiam. *Nos vitâ vivimus tantùm*: ait Siracides. Quis enim aliter vivit? Homo ſpiritualis ſubditus legi. *Vivimus ſpiritu*, dicit Paulus. Haud vivimus tantum vita, ſed ſpiritu, cui vitam nobilem communicat gratia: igitur novi homines, facto primo in animam viventem, facti ſumus in ſpiritum animam vivificantem. Vita vivere, eſt ſequi facta carnis: ſpiritu vivere, præcepta obſervare legis. Qui facta carnis ſpiritu mortificat, vivit, & vivet. Qui ſecundùm carnem vixerit, moritur, & morietur: etenim ſcelerum patet turpiter ſignum, dum vitâ vivimus tantùm.

Eccli. 48. 12.

Galat. 5. 25.

Vita vivere tātū, mortis eſt ſignum.

Quis eſt homo, qui vult vitam? Omnes. Præſcriptionem legis ſequere. *Serva mandata, & vives.* Inefficax videtur ratio, ut vivat homo. Quammulti fruuntur vitâ, & prætermittunt mandata. Sceleſtus vivit: & non vivit, quia ſceleſtus. Vitijs vitam agit, & ſimul vitam proterit; igitur caret gratia, à qua rationalis vita, & ſine qua vita mortua. Abſque obſervatione præceptorum vivet, ſed vita non vivet; ſiquidem vita rationalis à ratione pendet: & minimè in homine micat lumen rationis, ubi declinat iter rectiſsimum legis. Unde meritò Sapiens vitam ſignat, mandatorum cuſtodiam; quoniam per illam peccator obtinet gratiam. Quid ergo erit homo ſine gratia? Non erit. Nihil igitur eſt homo, ubi deeſt iuſtificatio.

Prov. 7. 2.

Peccator vivit, & nō vivit, quia peccator.

6 Arguit rectè malitia. In Ægyptijs egentibus exprimitur conſtitutio peccatorum. *Nec clam te eſt, quòd abſque corporibus, & terra nihil habeamus.* Ex corpore & anima conflatur homo. Corpus aſsignat illorum opinio: ſed ubi anima? Ubi vita? Non eſt vita ſine anima: & habentes animam dicunt animam non habere; quia ſolummodò vivebant in vita, corpori. Vivere corpori, in homine non eſt vivere: eſt vita, vivere corpore in vitam animæ; quæ obtinetur gratiâ Dei, dum ſumus in hoc tabernaculo, & peregrinamur à Domino. Homo corpore tantùm non vivit: ideo dicitur cadaver: & Ægyptij aſſerunt viventes non habere animam: igitur ſine gratiâ nequaquàm habebant vitam. Benè, nihil præter corpus. Moriuntur in vita, & apparent fœdè animata cadavera.

Gen. 47. 18.

Peccatores, non habent animā.

Aptiùs. Homo corpore tantùm non eſt homo. In huiuſmodi infelicitatem peccatorem impellit legis tranſgreſsio. Servatio mandatorum eſt animæ vita. Ex effectu vitæ in vivente, cogitatur anima: & aſſerunt peccatores, eſſe abſque corporibus nihil; quia ſine gratia Dei anima non habet eſſe. In Deo ſolummodò vivimus, movemur, & ſumus; quia nil ſumus ſine Deo.

Sine gratia anima nihil.

Sententiam Davidis exploraveris *Cor mundum crea in me Deus*, pœnitens flagitat: & ſubinde ſupplicationem explicat: *Spiritum rectum innova in viſceribus meis.* Cor mundum ſignat ſpiritum rectum. Sit, verùm cur modò *Innova*, & modò *Crea*? Innovatio eſt in præſuppoſito ſubiecto, creatio namque fit ex nihilo. Quid ita, quod præcatur reſtitui, poſcit creari? Quia à ſeipſo delinquendo defecit. David plurimis deliquit. Cum peccato ſtat peccantis natura, ſed avolat gratia. Sine gratia non eſt eſſe: & eſſe hominis, quod habetur, dicit Davit, quòd de novo creatur; quippe ſunt nihil rationales in natura, ni naturæ accedat ſpectabilis gratia.

Pſal. 50. 12.

Peccator in ſe defecit.

7 *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*, chorus cœleſtis extollens laudibus maieſtatem Divinam, præcinebat in gloriam. In Philoſophia etiam Sacra notatur ut ſingularis propoſitio, cùm creatio non ſit ex ſubiecto præſuppoſito. Erant & creata ſunt, abſonè concinunt. Deſtruunt ſanè, quod aſtruunt. Erunt utique, & non erunt, ſi exiſtentiâ creantur. Quomodò creatio, quæ non ex nihilo? Haud ægrè. Et eſt eſſe gratiæ in rationalibus creaturis, & eſſe naturale conditionis. Conditio in naturalibus eſt quidem aliquid, ſed cœlo nihil: & iurè dicitur creatio, quæ planè ex nihilo eſt; quia rationales ſine gratia, licèt vivant, nihil ſunt.

Apoc. 4. 11.

Homo ſine gratia nihil eſt.

Ab eſſe naturæ, beneficio Dei ſublevantur ad eſſe iuſtificationis, in quo accipiunt ſine meritis novum eſſe. Sunt quidem in eſſe naturæ, ſed ſine gratia non ſunt. Ideo uſurpatur creationis vox: ſiquidem nihil eſt, quanvis ſit homo, dummodò non exteterit gratus Deo. Sunt igitur & creantur, dum ad eſſe gratitudinis generosè pervehuntur: igitur ſine gratia, eſſe conditionis rationalis (prout habetur in cœlo) minimi ponderis. Nihil dicitur, quod non prodeſt: quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, cùm animæ ſuæ detrimentum patiatur? Meritò ergo vocatur in natura creatio, ex qua exurgit nobili conditione novus homo.

Cur homo cum gratia dicitur nova creatura?

8 Aliqui intelligunt in ly *Creata ſunt.* (cùm iam ſignentur creata) *Opus mirificum ſalutis, & redemptionis.* Vide Alcazar & Cornel. Alap. hic. Confirmatur cogitatus propoſitum, & beneficij iuſtificationis argumentum. Subintelliguntur quidem creata, quæ erant; & non erant, quouſque eſſent redemptione creata. Gratos fecit, cui condidit, rationales redemptio: & hæc dicitur aptè de novo formatio; quoniam nacti ſunt feliciter gratiam, qui nihil erant Deo per collatam exiſtentiam.

Alcaz. & Alap.

Hominis exiſtētia à gratia.

Ni velis, exprimi veſtigium Divinæ charitatis, in eiuſmodi creatione creationis. Nullum ergo meritum invenit in homine, ut ſeſe hominibus in Redemptorem daret. Nihili non ſunt merita: & dicitur gratia in hominibus vel natura creata; quia natura rationalis prorsùs nihilo, ut à Deo ita iuſtificaretur homo. Hominem iuſtificavit, quia voluit; ſicut creavit, non aliò, niſi quia placuit. Ideo in throno Seniores *Mittebant coronas ſuas.* Sine illo nihil potuerunt facere; & gratis ſtatim offerunt, quod potuerunt. Ut aptiùs dicas: non offerunt, ſed reſtituunt. Ab illò quidem bona cuncta procedunt: igitur meritis gratiæ inſertatis, ut extitiſſent; eſſe naturale infirmum, quaſi non eſſet.

Nullum in hominibus ſuppoſitum meritum ad iuſtificationis beneficiū

verſ. 10

9 Demùm: *Erant & creata ſunt.* Ideſt, *iterùm creata.* Creata ſunt iterùm, ut eſſent. *Et erant?* Utique: ſed in naturali conditione, non verò in ſtatu gratiæ. Erant ſecundùm ſpeciem, & formam apparentem, haudquaquàm ſecundùm interiorem hominem. Primum format natura, ſecundum gratia: & hæc dicitur hominis exiſtentis creatio; quippe cum natura rationali ſine gratia, non eſt homo. Eſt homo mortuus: & homo mortuus non homo. Ad gratiam igitur natura accedat, ut vivat; cùm rudis peccator & ornatu vitæ careat.

Creantur homines, ut ſint quia ſine gratia non ſunt

DIDASCALIA XVI.

Quid eſt beata vita? Perpetua.

1 DIſſeruit haccine gnome Seneca, *Epiſt. 93.* circa vitæ felicitatem & infelicitatem: igitur ſi non beata, non vita; & beata non eſt, quæ non perpetua. *An iſtam dicam mortalem vitam, an mortem vitalem?* *Neſcio.* Sic Auguſt. lib. 1. *Confeſ.* cap. 6. Cui ſuccinit Lucil. *Anthelog.* lib. 1.

Senec.

August. Lucil.

——— *Percurri & ipſe miſerrimus,*
Hanc difficilem, & non vitalem vitam.

Utrumque dixerim: quippe ex vitalitate mortis mors oritur vitalitatis, ita ut quæ non perpetua, nequaquàm credatur vita.

Vita eſt vita perpetua.

Ex bonis incluſis in arcula curioſæ Pandoræ, nec ullum remanſit in ſolamen naturæ. Duntaxàt alternant Spes, Timorque (Neſcio quodnam acerbius tormentum, ubi lego: *Iacebat multitudo languentium expectantium.* Quorundam bonorum, ſicut & malorum, intolerabilis magnitudo eſt. Timetur malum, ſperatur bonum. Quantus erit infelicitatis timor, dum felicitatis vel ſpes ipſa timetur? Prompſit triſtium diſcipulorum pectus, cùm dixerunt: *Nos autem ſperabamus.*) Spes melioris ſortis, timorque gravioris infelicitatis, ut corda hominum agitarent; remanſerunt cogitationum concives. Placuit ſic fingere Heſiodo in *Theogonia.* Aliquibus verò viſum, bona pariter cum malis miſta vagari in terra.

Ioan. 5. 3.

Spes acrior timore.

Luc. 24. 21.

Heſiod.

Unde agitant Superi mortalia pectora, latis
Triſtia miſcentes.

Achil. Bocch.

Canit Achiles Bocchius lib. 1. *Symb.* 8. Quapropter alijs placuit, bonorum & malorum non fuiſſe immutatam conditionem, ſed faciem: non naturæ lineamina, ſed veſtimenta: ita ut voluptas ornaretur cultu doloris, & dolor indumento voluptatis. De naturalibus in politica transfert ingenioſè Iacobus Bonitius *Sylloge* 1. *Emb.* 15. ubi in corde hominis ſic ſculpſit: *RE(LI)GIO*, cum hoc diſticho:

Bona & mala in mundo mutuo habitu ſimulantur.

Non mihi Religio cordi eſt, ſed amor regionis:
Nimirùm Regio in Religione latet.

Iacob. Bonit.

Quàm verum ſit dicat Aquilo. Et oculus plorat, & lachrymis indicat: igitur cuncti

Regio larvà Religionis. nefas graſſanur criminis; dum deauratur larvà & ſpecie Religionis.

2 Primum cogitationis acumen ſapit Catholicæ profeſsionis conditionem. Quid in Religione grave? Quid in ſæculo leve? Penes ſpeciem tantùm diſcrimen ineſt, (quantum auguror) ſiquidem in ſæculo felicitatis cultu reverà invenitur dolor, in voluptate pœna, in hilaritate mœſtitia; ac econtrà extra, quòd oculis exponitur gravitas, eſt felicitas; quod amarum, voluptas; quod triſtiſsimum, hilaritas: igitur Deus ut exerceatur homo,
Pſalm. 93.20. *Fingit laborem in præcepto.* Ornatum laboris habet forma venuſtæ felicitatis: cultum felicitatis induit amaritudò laboris. Perſonata mutuis larvis bona & mala ſunt in terris.
Beatitudo in tribulationibus latet. Unde qui amplectitur ductus ſpecie, volitantem felicitatem; tantùm beatitudinis obtinet veſtem, & reapsè moleſtam amaritudinem: qui verò de occurſu flagelli gemebundus, crebrò queritur; ſibi gratulans, de incurſu lætatur: quippe inveniſſe gaudet conſortium felicitatis ſub ſpecie teterrima mœſtitudinis. Ideo Aſſertor N. beatos vocat infelices calamitatibus mundi, atque deſpectos ſuperbà fronte prolabantis ſæculi: qui quidem vitam illorum æſtimat temerè inſaniam, & finem ſine honore ſtupidam ſtultitiam, *Gaudete* (ait) *& exultate.* Invenerunt vos mala. Occurrent
Matth. 5.12. bona. *Gaudete* de malis? Utique. Abditur gaudium ſub larva tribulationis, ſimulaturque felicitas cultu anxietatis; & ſi modo apparet gaudium; parum intereſt, quòd fingatur indumentum.

3 Denique: Alij autumant, volantibus cunctis bonis, ſolum peſſum iſſe initium felicitatis. Unde Ovvenus: *lib. 3. Epigr.* 82.

In terris tantùm ſyllaba prima patet.

Ovven. Initium *Fel-icitatis Fel* eſt, & in rebus cunctis totum felicitatis exordium:
Gaudia vitæ initia gaudij. quandoquidem gaudia humanæ conditionis, procedunt impigrè in gravem amaritudinem fellis. Quid enim habet homo de univerſo labore, quo laborat ſub ſole? Laborare. *Extrema gaudij luctus occupat*: vivide *Occupat*:
Prov. 14.13. quippe ubi exultatio, frequenter ingeritur doloris amaritudo.

Optimè, dices, (ſi dicis) verum quorsùm? Promam. Statua affabrè conficta Pandoræ, omnibus donis ornatæ, ſignum (ni fallor) Primiparentis fingitur: qui quidem curioſitate ductus feliciſsimæ Deitatis, in pomo vetito invenit toxicum fellis, amittens vitam, quia amſit æternam. Vide *Tautol. 5. Expoſit. Liter.*
Gene. 2. 7. 17. n. 1. *In animam viventem* factus, iacuit illicò ut comedit, mortuus. *In quocumque die comederis, morte morieris*; dicitur: nimirùm in quocunque momento. Nec unicum inſtans conceditur vitæ, legem latam tranſgredienti. Nonne vixit? Sane: ſed vità mortali, & mortalis non eſt vita. Expreſsit ingeniosè in *Regulæ Prolog.* Glorioſus Monachorum Patriarcha.
S. Benedict. *Si vis* (ait) *habere veram, & perpetuam vitam.* Ecce vitæ definitio. Vita perpetua, quia alias non eſt vera vita: & Adamus dicitur mortuus in eodem inſtanti, quo præceptum eſt tranſgreſſus; quia vixit obnoxius morti, cùm poſsit inexterminabilis
Vita mortalis non vera. gloriosè vivere. De ſummitate feliciſsimi ſtatus in paradiſo voluptatis, prolapſus eſt ultrò in barathrum mœſtitudinis. Eſt vera vita quæ beata, & quæ perpetua: & Adamus à vita dividens immortalitatem, & beatitudinem; etiam ademit inconſultò veritatem. In animam viventem factus eſt, quia transferendus ſine crimine in gloriam: & vità mortuus eſt, quia ſcelere tranſiturus erat in ſepulturam. Vitam habuit; ſed ſpiraculi futilis, fallacis vitalitatis. Plura dicemus ſeq. Tautologià.

4 Quæſtionem excitavit quidam, N. Hyperapiſte concionante. *Magiſter* (dixit) *quid*
Matth. 19. 16. 17. *boni faciam, ut habeam vitam æternam? Si autem vis* (reſpondit Dominus) *ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Reſponſum inadæquatum videtur in quæſtione. Ille interrogat de vita æterna, non de vita utcunque. Cur igitur
Vita æterna eſt tantum vita Chriſtus profert ſermonem de vita, & nequaquam fit ſermo de vita æterna? Quia vita æterna eſt tantummodò vita: & meditanter non meminit Chriſtus æternæ, ſed ſolùm vitæ; quippe vita, quæ non æterna, mors eſt potius dicenda, quam vita: igitur non habet vitam, qui non poſsidet æternam.

Ut vitam redderet humano generi Vindex (de fraude facta in paradiſo condolens) & medelam ferret inde, hoſtis unde læſerat; ſe exhibuit panem de cœlo. Audit homo: cui ut aliceretur eſcà dulciori, appoſuit in pretioſitate vitæ.
Ioan. 6. 53. *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Paradoxum patet viventibus. In illis viventibus vita eſt. Quo pacto in ſeipſis vitam non habebunt, qui vita vivunt? Efficit ne Chriſti caro, ut vivat homo? Nondum enim inſtitu-
Vita gratia. tum erat Sacramentum: quomodò ab illo iam viventium procederet ſpiraculum? An quia à Sacramento gratia, qua vivit vita; & in homine vivente non eſt vita ſine gratia? Potius optat. Vita hominis, ab incurſu ſer-
Vita quæ habetur ſine æternitate, nõ habetur. pentis, depulſa eſt à ianuis æternitatis: illam felicitatem, quam ſerpens rapuit, in Sacramento Aſſertor N. reſtituit: & dicit: *Non habebitis vitam in vobis*, ut ſignaret ſpecimina vitæ fallacis. Vita eſt vita æterna: quæ non per-

petua, non vita: & vitam, quam habetis, non habetis in vobis; quia eſt vita omninò, & uſquequaque, & undecunquè mortalis.

verſ. 58. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ecce ratio vitæ. Gloriosè vivet, & perpetuò vivet. Hæc eſt vitæ claritas, perpetua felicitas. Sine corpore, & ſanguine non habebitis vitam æternam. Ergo nec vitam, cùm
Vitæ entitas eſt perpetua felicitas. ſubſtantia vitæ pendeat ex perpetuitate: unde non tantùm dicit *Vivet*, ſed *Vivet in æternum*, ut exponatur cunctis vitæ conſtitutivum: igitur non vivet homo, à cuius vita aufugit beatitudo. *Vivet in æternum*, ita ut vitam non habeat, quicumque non vixerit, ut in æternum vivat.

5 Perpende differentiam huius excellentiſsimi cibi ab uſuali præſtantiori. Egreſſus Elias à torrente Carith, pervenit in Sareptham Sidoniorum, ubi mulieri viduæ egenti, & diviti, præceperat Dominus, omnia illi abundè ſuppeditare. Apparuit mulier, cùm Propheta accederet ad portam Civitatis, ut magis efflorereret beneficium, quia obvium.
Eleemoſynæ largitio, eſt donimultiplicatio. Vel ſatiùs, ut debitum Propheta ſolveret, antequàm fœminæ liberalitate contraheret: ſiquidem nanciſcebatur eleëmoſynæ augmentum; priuſquàm pietas egenti conceſſiſſet beneficium. Afferre iuſsit Elias buccellam panis: & mulier inter incudem pietatis, & malleum neceſsitudinis, promptè reſpon-
3. Reg. 17. 12. dit: *Non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ. En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, ut comedamus, & moriamur.* Heus. Eſca non ad mortem, ſed ad vitam miniſtratur. Animal, dum non alitur, moritur. Cur ergo pane ſine quo minimè vives, mo-
Pane, quo alimur, mõrimur. rieris? Quid ita cibus, ut comedas, & agas animam, ſi alimenta nutriunt vitam? Meritò dicit, dùm communem panem Propheta petit: ſiquidem panis, ubi vita non invenitur, ab homine comeditur, ut comeſtione moriatur.

Hoc eſt diſcrimen inter panem vitæ, & panem ad vitam. Hoc vita protrahitur, cæterùm mors non arcetur. Pane vitæ vivitur etiam in morte: & dicit de pane uſuali, *Ut comedamus, & moriamur*; igitur dum concinnabat buccellam, ſolummodò inquirebat
Panis de cœlo eſt forma vitæ. vidua panem ad vitam. Panis ſæculi conſervat, ſed non ſervat. Eſt conditio vitæ, non forma. Panis de cælo eſt forma vitæ, & ipſa vita: aptèque in pane uſuali connectitur mors, & eſca; quippe ſine pane vitali vivere eſt, verùm vivere mori. Vivit, ut vivat homo, qui manducat in mundo panem de cælo: & iurè dicitur mors, eſca panis, in quo vita; quia licèt inſit vita, non eſt æterna. Panis vivus, & vitalis eſt caro Chriſti. Vivus, igitur non convertitur in ſubſtantiam aliti, ſed in ſe convertit alitum, ut clareat huius
Quid panis vivus, & vitalis? inſtitutionis prodigium, de quo Nos alibi. Tom. 2. T. 10. D. 6. Vitalis, quippè ab illo vita hominis. Qui manducat hunc panem, vivit, quia panis vitæ: & inter eſcam & eſcam, vitam & vitam; dicitur caro Chriſti panis vitalis, ob collationem communis: ſiquidem hoc homo, vel vità moritur; & pane cæleſti vita vel moriendo felicitèr fruitur.

6 *Caro mea* (dixit Servator eodem ſermone) *eſt verè cibus.* Ubi mundus guſtave- verſ. 55
rit, ſanè vivet: igitur manducabitur, *Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna.* Oc- verſ. 58
currit duplex dubiolum delicandum. Manna quidem erat cibus verus: cur igitur caro Chriſti tantummodò ſignatur verè cibus? Deinde. Manna erat panis de cælo: unde colli- Exod. 16. 15.
gentes dixerunt ad invicem: *Quid eſt hoc?* Cur ergo caro Chriſti non erit ſicut manna? Subinde Chriſtus reſpondet: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Qui manna manducaverunt, habuerunt panem ad vi- *Homo pane Euchariſtiç gaudet immortalitate.*
tam: qui panem Euchariſticum manducaturi ſunt, habebunt panem vitæ. Panis vitæ mortalitatem expellit, panis ad vitam mortalitatem involuit: & patet utriuſque panis diſcrimen; cùm pane cæleſti mortalis homo habeat immortalitatem.

Manna alebat: etiam Euchariſticus panis: & dicitur hic meritò panis verus; quia in hominibus panem cæleſtem dignè guſtantibus, non eſt mors: & quiqui manna in deſerto manducarunt, mortui ſunt. Panis erat manna vivis, veruntamen non vitalis: & licèt ille *Manna panis vivis, ſed non vivus.*
lactaret morulis mortem, nullatenùs attingebat æternitatem. Vita beatè perpetua eſt propriè vita: & mors latebat vel in delectabili eſca; quia non manducabant, ut vitam abundantiùs haberent; ſed tantummodò, ne defectu eſcæ in deſerto perirent.

Veritas cibi à Chriſto collocatur in duratione, ac dicitur verè cibus: & manna, licèt *Cur igitur pani Chriſti verè panis?*
panis, non panis verùs; quippe manna vivebant in deſerto mortales, & pane cæleſti fiunt immortales fragiliores vires. Æternatur vita huiuſmodi eſcà: ſi veritatem cibi comprobat felicitas durationis, æternitatem confert panis cæleſtis.

Pro *Mortui ſunt*, legit Villalpand. Ezech. Villalp.
20. v. 11. *Non vixerunt.* Si manducarunt, quomodò non vixerunt? Imò vixerunt, quia eo paſti in ſolitudinibus deſerti. Vixerunt, & mortui ſunt? Non eſt Verſionis adæquatus *In Sacramento vita eſt, quia æterna.*
ſenſus. Non vixerunt, quia & in vita mortui ſunt. In vita mors? Etiam. Manna habue-

In Sacramento vita eſt, quia æterna eſt.

buerunt vitam: & viventes, non vixerunt, quia non habuerunt æternam. In Sacramento vita eſt, & æterna eſt. Haud introducitur pallida mors. Si manducamus carnem, habemus vitam in nobis ipſis manentem: non ſicut qui manducaverunt mannà, & mortui ſunt; ſed accipientes vitam,& verum cibum, cuius paſtu vita prolongatur in æternum.

7 Riſui igitur ſæpe deſervit cavilatio in comeſſationibus Heliogabali. *Pictas dapes, & menſas apponebat epulonibus*, ait Lamprid. in *Heliogab.* Præut in Sacro Euchariſtiæ convivio exponuntur deliciæ, pictæ poſſunt dici ſæculi dapes,& menſæ: igitur ſuavitate collatà, felicitate cognità, ſemel cæleſti pane guſtato, tanquam in imagine delicias ſæculi pertranſibit homo: & iurè, cùm tantùm ſit verè cibus mortalis hominis, panis vivus cæleſtis, quo efficitur immortalis.

Lampr.

Fallaces deliciæ mundi, dulcedine Sacramenti.

Delicias mundi, & cæli contulit Divinus Magiſter, cùm de Sacramento corporis ſui, & ſanguinis altè diſſeruit. Mirum fuit, cælos conficere panem, quouſque Iſrael perveniſſet ad promiſsionem. Panem de cælo manducavit homo, igitur ad uniuſcuiuſque voluntatem fiebat ſaporis converſio. Verùm *Non Moyſes* (ait) *dedit vobis panem de cælo,*
verſ. 37. *ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Ergo manna non erat verè panis. Liquet: pro manna, ut æſtimabilius donum largiatur, panis verus ab illo proponitur,& promittitur. Manna plauditur Angelorum eſca, ſubtilior ſubſtantia, cæleſte nutrimentum, deliciæ deliciarum, panis de cælo. Cur igitur à Chriſto non dicitur verus panis? Non eſt verus ubi panis ſubſtantia, & verus eſt panis, ubi tantùm ſubſiſtunt accidentia? An quia in manna ſæculi bona, & in Sacramento vera? Quia iſthæc ignorantur,non diliguntur:igitur ſi dulcedinem convivij homines corde cognoſcerent, mundi prætermitterent delicias quaſi non eſſent. Pictas itique iudicarent menſas, ſi avido cordi panis cæleſtis adhæreret ſuavitas. Unde Chriſtus, licèt manna vocet panem, & panem cæleſtem; verùm non nominat panem: quippe dum ſemel panem homo Euchariſticum comedit, omne delectamentum mundi uti falſum evaneſcit. *Sopivit oblivio cuncta carnis ludibria* (ait Cyprian. tract. de *Cœna*) *mira ſunt, quæ ſentit; magna, quæ videt.* Et nihil videt homo ex his magnis, quæ videbat, nec ex miris, quæ ſtupidus cogitabat, quia neceſſe eſt mundanam recognoſcere languentem, dum homo ſine meritis accedit ad veram felicitatem.

Sacramenti bona vera.

Cyprian *Oblectamina carnis ludibria ſunt*

Manna leviſsimus panis eſt: igitur ut delicium corporis, generavit faſtidium. cupiditatis. Appetitus placuit, & experientia diſplicuit. Cur ergo? Paſcebantur, ut viverent pane illo, delicato manna; & qui paſti, mortui ſunt. Vita comprobat veritatem cibi: & aſſeritur manna cibi veritate non gaudere, quippe licèt concederet vivere, minimè concedebat vivere ſemper: cæterùm veritas panis ſequitur Euchariſtiam, quia cibus permanet & in vitam æternam. Vita vocatur ab hominibus vita temporalis, qua moriuntur; nec ſat mors crebra temporis, ut ad meliorem mentem revocentur. Heù! Hæc non vita, ni adiungatur vita cæleſtis, quæ vita verè vitalis.

Vita Sacramen eſt vitæ vitalis.

8 *Ego veni* (dixit Largitor immortalitatis) *ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Quomodò ut vitam habeant, qui vitam habent? Si indiviſibilis ſubſtantia vitæ, qua via in vita habebitur abundantia? *In præſenti ſæculo* (infit Chryſoſt. hìc) *per gratiam, in futuro per gloriam.* De gratia loquemur *Didaſcal.* ſeq. Modò de gloria. Vita aptè dicitur vita, ſi nititur felicitate, & perpetua duratione; non quæ numeratur tempore: & Chriſtus inficiatur eſſe vitam, quæ non habet gloriam; ſiquidem ſine gloria cæleſti, haud gaudet homo vita, ſed tantùm morte vitali. In abundantia vitæ vita ſtat: abundantia fugit mors. Si in gloria eſt huiuſmodi abundantia, in mundo non erit vita: neceſſe eſt enim, ut ex hac vita in gloriam, qui mortales procedant; ut vitam abundantiùs habentes habeant, & habeant.

Ioa. 10. 10.

Chryſ.

Vita, ut vita ſit, amplius debet habere, quã vivere.

Ex hoc claret beneficium panis vitæ in auguſto Sacramento gratìs collati. Non manducabunt homines panem hunc, ſicut Iſraelitæ manducaverunt manna. Manna vitam ſervabat, non conferebat. Qui illo paſti, vitam habebant; verùm abundantius non habebant. Potiora elargiturus in lege gratiæ; qui tot miracula, ut umbram exhibuit in articulo legis ſcriptæ: ſiquidem dedit de cælo verùm panem, & non verum; quia minimè æternabat vitam hominum. Dedit vitam per tempus,& tempus, verùm non abundantiùs. Pane cæleſti (in quo caro corporis, & ſolummodò accidentia panis) paſcit homines; ut habeant abundantiùs, vitam habentes: quandoquidem præter vitam, habebunt ſanè in gloria vitam æternam. Nil magis pellicit homines, quàm dies videre bonos. His gaudebunt, ſi florent vità abundantiùs: & in Sacramento exponitur abundantia vitæ, ut vivant vità vigente: igitur vita

Præter vitam cõfert panis cæleſtis vitã æternam.

gloriosa, felix, æterna, eſt tantummodò
etiam viventibus,
vita.

DIDAS-

DIDASCALIA XVII.

Vita animæ Spiritus Sanctus.

P. Dam.

1 AIt N. Petrus Damianus *Serm.* 21. Tantùm ſpiritu vivimus ſpiritu, & ambulamus. *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus*: ita ut *Eſſe, Vita, & Intellectio* noſtra nihil ſit ſine illo, ſine quo nihil. Quomodò *Sumus*? Dixi Didaſc. 10. Quomodò *Intelligimus*? Didaſc. 15. modo delicabimus: Quomodò *Vivimus*? Paulus qui propoſitionem aſtruit, delicatè & luculenter expoſuit. *Deus* ait, *dat omnibus vitam, & inſpirationem & omnia.* Perpende *Vitam, & inſpirationem.* Quid ergo eſt vita præter halitum vitalem? Nihil. Si nihil, cur dicit vitam, & inſpirationem? Quia ſine inſpiratione non eſt vita. Inſpiratio gratia eſt: vita hominis in ſola vita non ſtat: & dicitur vita, & inſpiratio, queis vivit homo; igitur ſine gratia, non erit vita.

Act. 17. 28.

Ibid. v. 25.

Sola gratia eſt hominis vita?

2 *Omnia* addit. Ad quid *Omnia*? Pretioſitatem gratiæ commendat, dum donum ignotum Athenienſibus demonſtrat. Sciebant ab anima hominum vitam pendere, ſed neſciebant à gratia vitam animæ. Sciebant vitalitatem principij, verumtamen ignorabant principium vitalitatis. Nemo amat quod ignorat: & Paulus oſtentat in reſpiratione momenta gratiæ, ut illi æſtiment magni, à quo dependet pretioſitas vitæ. Minimè huiuſmodi vita eſt qualis qualis, ſed inexcogitatæ æſtimationis: utinàm ſaperent & intelligerent, ut ſummam felicitatem obtinerent! Ideo Paulus cum in reſpiratione portenderet gratiam, dicit *Omnia.* Omnia dona ſunt in gratia. Qui dicit *Omnia*, nihil excludit; cùm gratia cunctam felicitatem importet: & aſſerit Paulus, Deum conferre vitam,& gratiam, & omnia; quippe collatà gratià, pòſt, nihil ultra. Quid gloria?

Omnia bona ſũt in gratia

Intende. *Omnes peccaverunt* (inquit Doctor Gentium) *& egent gloria Dei.* Peccatores ut iuſtificentur, non egent glorià, ſed gratia. Gloria eſt hæreditas: neceſſe eſt, ut filii fiant; quod naturam divinam in iuſtificatione feliciter habeant. Quos Deus iuſtificat gratiæ conſortio, glorificat beatitudine in cœlo. Cur igitur in peccatoribus ſignat Paulus, ut iuſtificentur, gloriam, cùm debeat dicere gratiam? Confert dona gratiæ & gloriæ, quæ felicitas humanæ naturæ: & inter felicitatem & felicitatem; pro ſumma felicitate gratiam deſignat Paulus gratum facientem: ſiquidem conſequens gratiam, habet profectò feliciorem gloriam.

Rom. 3. 23.

Gloria hominis nõ in gloria, ſed in gratia.

Gratia Dei homo fit amicus: gloria fit ex viſione ſummè fauſtus: & gloria naturæ rationalis haud oſtenditur in patria regni cæleſtis, ſed quùm transfertur in regnum dilectionis; quia gloria non eſſet gloria, ſi in cœlicolis poſsit abeſſe gratia. In gloria præfigitur ſumma felicitas & beatitudo; ſiquidem omnium bonorum eſt tota ſimul & æterna poſſeſsio: & Paulus pro gratia, qua egent inquinati noxa, gloriæ meditanter appoſuit felicitatem, igitur in gratia Deus omnium bonorum collocavit poſſeſsionem. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil omnia iurè deſpiciet. Nihil profectò eſt ultra; nec homini maior gloria, quam eſſe in gratia.

Gratia omnium bonorum poſſeſsio.

3 *Oſtende mihi faciem tuam*, dicit Moyſes ad Dominum poſt vindictam adorantium vitulum. Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum: qui quidem Moyſi dixit: *Inveniſti gratiam coram me.* Minimè quam habet, expoſcit humilis gratiam, ſed gloriam: ſcilicèt, te videre, ut ex cognitione, poſsit ampliùs diligere. Cur ergo dum Moyſes ſummam felicitatem optat ex viſione Domini; Dominus meminit acceptionis gratiæ? Quare dum gloriam cupit, aſſerit gratiam inveniſſe? Ut indicet iam habere. *Inveniſti gratiam.* Habes gloriam. Gloria eſt ſuperna felicitas: hanc conſtruit in mundo charitas: atque exponitur gratia, ubi deſideratur Domini gloria; quippe quicquid obtinere expetebat ex viſione, iam fuerat nactus in gratiæ felicitate.

Exod 33. 13.

verſ. 17

Quomodo gratia ſemẽ gloriæ?

Verba Domini munifici pro pignore favoris opinor. Moyſes ut amicus ſtudiosè honoratur. Supplicationi gloriæ reſpondet Dominus beneficio gratiæ. *Oſtende mihi* (ait Moyſes) *faciem tuam: gloriam tuam*: Difficile videtur? Parum eſt. *Gloriam*? *Inveniſti gratiam.* Plus feci, quam pro vera felicitate cogitaſti. Haud prætermittit largitio cordis favoris minima, maximè dum conceſsit ſuperiora. Minimè denegabis gloriam, qui largitus eſt gratiam: igitur maius eſt donum, contuliſſe gratiam, quam conferre in viſione cœleſtem gloriam.

Amplius donũ eſt gratia, quã gloria.

Perpende rerum articulum. Poſt viſionem Domini de Moyſe præclarè meriti, in qua Dei inveſtigavit rutilam gloriam; faxò dixit ſpeculator: *Si inveni gratiam in conſpectu tuo.* Priùs gloriam, modò gratiam? Etiam. Invenit gratiam & vidit gloriam: an non ſatagit poſt viſionem gloriæ de gloria, ſed tantum de gratia: quippe agnoverat in poſſeſsione gratiæ, ſitam abſdubio felicitatem

Exod. 34. 9.

Gloria in gratia.

Chryſolog.

tem gloriæ. Iam arripit iter, qui renuebat progredi. Invenit gratiam: *Qui invenit gratiam* (ait Chriſologus *Serm.* 142.) *neſcit timere.* Neſcit. Si poteſt, nihil magis percellere dignum tranquillam gratiâ conſcientiam, quam rationalis timor amittendi gratiam.

Ioann. 11. 7.

4 Neceſſarius erat à Galilæa in Iudæam tranſitus, ut Lazarus ad vitam revocaretur quatriduò mortuus. *Eamus in Iudæam iterùm*, dixit Dominus Ieſus. Quærebant Iudæi illum lapidare, nec declinat ab itinere. Exhibet pietas innati amoris amicitiæ documentum: Igitur etiam cum diſpendio vitæ quærit amicum. Audit Thomas, ac audacter ad Condiſcipulos dixit: *Eamus, & nos, & moriamur cum eo.* Amoris porrò officium, ſed non ſummum. *Cum eo*, ait, non *Pro eo*: & licet *Pro eo*, haud ſuprema charitatis demonſtratio: ſiquidem extrema pectoris æſtuantis fides ſtat in eo quòd *Pro eo*; ſed non *Coram*, vel *Cum eo*, ingeratur atra mors. Ideo dilecta anima & diligens (dum muſicam mortis illius exaudire percupit Sponſus, ſiquidem pati pro dilecto eſt dulciſonum canticum, cum non ſentiant in morte mortis tormentum) exclamat: *Fuge dilecte.* Fuge. Quid fidei, pro te coram te pati, vel mori? Excutit timorem è pectore præſentia dilecti. *Fuge*: ut experiaris amoris demonſtrationem, cùm non viderim præſentem. Beatus cuius eſt auxilium abeſt. Aſcenſiones charitatis diſpones in corde, ſi aſpectus luminum fugeris: igitur pati pro dilecto, abſente dilecto, eſt amoris magnitudo: hortor enim pro tempore fugam, ut videris flammam. Appoſitè Hermannus Hugo in *Animæ Deſiderijs*, lib. 3. Suſpir. 15. ſuccinit:

verſ. 16.

Summũ amoris obſequiũ eſt pati pro dilecto, ſed non corãm.

Cant. 8. 14.

Mors iuſtorũ canticum.

Carpe fugam, veluti cuperes tamen ante videri:
Utque brevi redeas, non tibi dico, Vale.

Herm. Hug.

Unde Ambroſius de *Bono mortis* cap. 5. ait. *Hortatur anima ut fugiat, quia iam ſequi poteſt ipſa.* Votum præſentiæ dilecti eſt animi micropſychuli. Infantiæ index charitatis, ubi opus, ut proficiat, cura nutricis. Aſcenſiones habet amor in corde Amaſiæ, ut per ſe poſsit ingruentibus malis reſiſtere, & prævalere: ac optat in morte Sponſa ſummè dilectum non ſtantem, ſed fugientem; ſiquidem perfecta charitas expulit foràs timorem. Hoc aliàs.

Ambr.

Charitas perfecta nõ timet.

5 Propoſitio reditus. *Eamus* (ait Thomàs) *& moriamur cum eo.* Si amoris ſummi indicium (ut vidimus) eſt fuga dilecti, & tamen pro illo vitam ſatagit profundere; Thomàs in obſequio ſingulari minuit charitatem, vel profert in demonſtratione timorem. Timorem, quia non aggreditur audax nobile facinus; quin videat operationem dilectus. Languorem conſequenter charitatis; ſiquidem cum illo conatur perpeti amaritudinem mortis. Quomodò ergò magnum & ſingularem protulit in conamine amorem; dum conditione præſentiæ deſtruit demonſtrationis magnitudinem? Innuit Chryſoſt. apud Lyram hic. *Melius eſt nobis cum illo mori, quàm ſine illo vivere.* Aptè. Vivit cum illo, quiſquis gratiâ illius feliciter gaudet. Sine illo vivit, quicunque peccato gratiam infeliciter exuit. Denique moritur cùm illo, qui habet gratiam, & amittit vitam. Mors imminet, vel Salvator diſcedit. Vel abſentia Salvatoris, vel privatio eligenda vitalitatis. Mors ſic? *Eamus*, Thomàs ait, *& nos.* Eamus & moriamur cum eo; ut amor floreat ſtudio. Melius eſt enim cum illo mori, quàm ſine illo vivere: ſiquidem ſatiùs eſt amittere vitam, quàm amittere gratiam.

Amor ſingularis Thomæ.

Chryſt.

Acerbius eſt amittere gratiam quã vitam.

Abſentia Salvatoris nunquàm fit ſine averſione à ſalute, quippè nec pallida mors ſeparat à charitate. Primum eſt vivere; ſed ſine gratia non vivere vitam. Secundum mori, ſed habere gratiam. Utrumque grave: cæterùm aliud animæ, aliud naturæ. Ubi ergo dirigetur rationalis cogitatio? *Eamus, & nos, & moriamur cum eo*: potiùs tolerabile, perpeti mortem; quàm cogitare Salvatorem abſentem.

Melius eſt cum Deo mori, quàm ſine illo vivere.

Obſerva diligentèr articulum temporis. Antequàm de ſuſcitatione defuncti Lazari ſermo fieret; Thomàs cum reliquis tacet. Ergo Ieſus dixit eis manifeſtè, Lazarus mortuus eſt, ſed vado, ut à ſomno excitem eum. Et illicò Thomàs: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Cur ergo pòſt, & non priùs vitam negligit, qui mortem vel in magiſtro puſilanimis timuit? Audivit mortem Lazari non eſſe mortem; ſed ſomnum. Mors dicitur dormitio; ubi cum Chriſto in gratia moritur homo. Mors in gratia vita eſt: eſt vita mors ſine gratia. Qui moritur in gratia, quaſi è ſomno ſuſcitatur: qui ſine gratia vivit: in vita moritur. In bivio ſtat Thomæ mens. Si procedit, incidit in mortem: ſi manet cogitat Salvatorem abſentem: & audax, ut fruatur chatitatis obſequio; *Eamus* (inquit) *& moriamur cum illo*: igitur ſatius eſt ultrò profundere vitam; quàm ſine gratia vel brevi ferre Salvatoris abſentiam.

Egrè fertur ab anima Dei abſentia.

6 Deinde. *Moriamur cum illo.* Cum quo ergo? Cum Chriſto? Sic cuncti. Cogitarem cum Lazaro, ubi audivit Thomas iri ſuſcitatum, quem continebat ſepulchrum.

Vel in ſepulchro floret vita cum gratia.

Vita

Vita igitur deſideratur: ergo cum Lazaro moritur; qui ita gratiâ felix dormit, tanquam qui vel morte vivit. Feliciſsimâ vitâ in gratiæ vitalitate gaudet homo; cùm floreat dulci ſomno vel in ſepulchro.

verſ. 15.

Innuit Salvator: *Lazarus mortuus eſt* :: *ſed eamus ad eum.* Ad quem igitur? Ad Lazarum. Lazarus non eſt, quia iam egit diem ſupremum: tantùm remanet Lazari cadaver, quod ſepultum: quomodò profectò *Ad eum? Quanvis mortuus, vivebat*, aſtruit Cyril. Alexandrin. hic. Vivebat mortuus? Quid mors, ſi in morte vita? Vita hominis eſt Dei gratia: & de vivo loquitur iam ſepulto, ut clareat iuſtificatio. Amicus Dei poteſt ſepeliri, ſed non mori. Quandiu habuerit, gratiam, habebit vitam: & non habebit, quandiu non habuerit, licèt habeat.

Cyril.

Animæ vita gratia.

7 Obiter aliqua iam memorata, tùm in *Literæ Expoſit.* tum in ſuperiorum Didaſcal. acumine, dilucidabuntur. *Niſi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem* (dixit Ieſus non credentibus) *non habebitis vitam in vobis.* Vita in Sacramento promittitur, & Dominus vitam vel viventium inficiatur? Iurè. Vita vitæ hominis, eſt gratia. Hoc donum confertur in Euchariſtia: & dicit ſine carnis & ſanguinis ſumptione, *Non habebitis vitam in vobis*, licèt multum ad libitum vixeritis: igitur non habebitis, quam habebitis vitam, niſi habueritis pro coronide gratiam. Sic per Ezechielem 37. 5. *Intromittam in vos ſpiritum, & vivetis.* Haud eſt Tautologia. Exprimitur vera vita: quæ ſi non à ſpiritu, eſt vita ſine ſpiraculo. Ideo ſubditur, *Ingreſſus eſt in ea* (oſſa) *ſpiritus & vixerunt*: igitur ſine ſpiritu, qui gratia; cuncti viventes nil aliud ſunt, niſi arida oſſa, & cadavera viva.

Ioan. 6. 53.

Sine qua minimè vita.

Ezech. 37. 5. verſ. 10.

Quod vivis, vive.

Dixit Achiles Bocchius lib. 1. *ſymb.* 10. Nemo vivet quod vivit, dummodò gratiam non obtinet: gratia eſt enim neceſſaria, ut *Vità vivat*: igitur illa *Vivificat ſpiritum humilium, & cor* (à quo vita) *contritorum.* Abſonè diceret David: *Cor meum dereliquit me*; ſi conſentiens noxæ, haberet cor ſpiraculum vitæ. Abſonè etiam Evangelicus Vates: *Redite prævaricatores ad cor*: ſiquidem profectò haberent vitam, ſi haberent gratiam: & amiſerunt amiſsâ gratiâ in vita cordis vitalitatem; illicò ut intenderunt legis prævaricationem. Satagite ergò de ſpinthere charitatis, ut habeatis habendo vitam in vobis.

Achil. Bocch.

Ezech. 18. 21.
Iſai. 57. 15.
Pſal. 35. 13.
Iſai. 46. 8.

Occurrit aliquod altius. *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Et ego dico: *Quanvis manducaveritis.* Quomodò? Blandior Salvatori aſſerenti, in ipſa contrarietate. Niſi manducaveritis; vitam in vobis non habebitis. Non habebitis vitam, quia niſi manducaveritis, non habebitis gratiam. Et etiam non habebitis, quanvis manducaveritis: ſiquidem ſi mundum ad altare accedit cor, qui manducat, ipſe vivet propter me. Si vitam tantùm in vobis habetis, non habetis: ut habeatis, non habebitis in vobis: quippe per me & in me vivet, quiſquis panem manducaverit. Vitam habet qui panem manducat charitatis: & vitam non habetis, qui manducatis panem doloris. Manducate, & vivite, ut extra vos cùm vivitis, in me vivatis. Aſſerit Paulus: *Vivo autem, iam non ego: vivit verò in me Chriſtus.* Vitam, quia gratiam habebat; & non habebat, qui vivebat Chriſti vitam. O Gertrudis amor eximius! Quàm aptè dicis Sponſo dilecto, *Spiritus meus*! Vitam habes, & abundantius habes, quia non habes vitam. Nanciſceris gratiâ animam viventem; & non viventem, quia vivis per ſpiritum vivificantem. Hic corde reſpirat tuo; tu vivis huius ſpiritu.

ubi ſup.

Amans vivit vita dilecti.

Galat. 2. 20.

Panis cõmunis panis doloris.

Qualis Gertrudis vita?

8 Ergò Didaſcaliæ. Quid magni habet homo beneficio iuſtificationis, ita ut in valle lachrymarum ſublevetur in ſtatum felicitatis. Iccircò à Paulo dicitur *Nova creatura, novus homo.* Nova creatura, ſiquidem vita nova. *Nova*: ideſt, *ſingularis*: igitur non tantùm conceditur vita in gratia; ſed etiam habetur ſingulariter vita: quippe ſingulariter in homine novum; quod non a corde, ſed à gratia oriatur vitæ ſpiraculum.

Galat. 6. 15.
Epheſ. 4. 24.

Vita hominis per gratiam ſingularis.

Vitæ viam vivens inquirebat quidam religioſus adoleſcens, cui Dominus dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Si de vita naturali loquitur, vitam habet: ſi de ſpiritali, plures tranſgrediuntur præcepta, & vigent felici in ſæculo vitâ: qua via vitæ ſpiraculum connectitur cum obſervatione præceptorum? *Qui cuſtodiunt iuſta, iuſtè iuſtificabuntur.* Inquit Sapiens. In præceptorum cuſtodia ſubſidet gratia: & dicit Chriſtus, ſi volueris vitam, ſerva præcepta: igitur non eſt vita in vivente, procùl iuſtificatione. Cogitant homines, in vita collocari vitam. Venit Chriſtus indicare vitam novam: & non in vita, ſed in iuſtificatione ſpiraculum exponit, ut homo ſciat ſingulariter vivere: etenim novum haud obtinebit ſpiraculum; ſi peſſundat in vita cuſtodiam legum. Dum repulerit præcepta, privabitur gratiâ: conſequenter verà, vitâ, quam largitur abundè legis cuſtodia: & iuſtè (nimirum iurè) vitam habebunt; quippe cuſtodientes iuſta, iuſtè iuſtificabuntur.

Matth. 19. 17.

Sapient. 6. 11.

Non eſt vita in vivente ſine iuſtificatione.

Viam

S. Benedict.

Viam vitæ vocavit Glorioſus Patriarcha Benedictus in *Regul. Sanct. Prolog.* cuſtodiam legis. Via eſt ſane vitæ: ſiquidem herclè perveniet ad vitam, cùm pervenerit ad gratiam, quicunque abiuratis compedibus ſcelerum, ambulaverit in via rectiſsima mandatorum. *Viam vitæ*; quia alias non habebit vitam. Ideo dicitur homo cum gratia, *Novus homo* à Paulo, ubi ſuprà: igitur non erit homo, ſi in vita deſit vitæ iuſtificatio.

Legis cuſtodia rationalis vita.

Epheſ. 4. 24.

Gen. 2. 7

9 *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Hæc Moyſes in formatione hominis: quæ luſtravimus *Dicaſc.* 15. *num.* 3. in commendationem gratiæ iuſtificantis: igitur ut dixi, ſi anima non haberet gratiam iuſtificantem; homo haberet vitam, ſed non animam viventem. Eodem ergò momento erat Deus condiens naturam; & largiens gratiam. Modò perpende formationis deſcriptionem, ut concipias & obſerves hominem rationalem. Fecit Deus hominem de limo terræ, & ſpiraculo vitæ. Hoc eſt omnis homo. Cur igitur addit: *Et factus eſt homo in animam viventem*, ſi dudùm deſcripſerat hominis formationem? Quia ſine addito eſſet homo, & non eſſet homo. Non eſſet homo in gratia, ſed in natura: & non eſt homo qui a natura, ſed qui à gratia. Homo in natura fit ex carne & ſpiraculo vitæ: homo in gratia fit cum anima vivente: & formati formatio dicitur denuò; quia homo ſine gratia non erit homo.

Homo ſine gratia non homo

Eſt homo cum gratia alter à ſe, & iungitur altiùs ſecum. Eſt homo animalis, & homo ſpiritalis. Homo animalis non homo; igitur rationem moderatur ſine moderamine ſenſus. Homo ſpiritalis eſt homo; ſiquidem ſenſui ratio, & rationi dominatur ſpiritus. Singularis debebat eſſe operatio Auctoris, ut commendaretur ſumma pretioſitas rationalitatis: & poſt formationem hominis deſcribitur meditanter nova formatio; quia cum gratia in homine novu homo. Vide *Tautolog.* 3. *Didaſc.* 6. num. 6. & ſeqq. Fecerat Deus *Ut faceret*: fecit hominem, vel in naturalibus orbis prodigium; & in ipſo hominem novum fecit, dum fecit gratum. Conſule ad rem hic totam *Didaſc.* 15. igitur ne iſthæc in longum protrahatur, teſtimoniorum illorum acumen ex induſtria prætermittitur; ut tuo debeas ingenio, quod meo ſtudio. Sufficit propoſitum, ſciendo animæ vitam eſſe Spiritum Sanctum.

Cur dicitur cum gratia novus homo?

Gen. 2. 3

DIDASCALIA XVIII.

Non eſt res magis moleſta, quam vita ſine honore.

1 Dixit Xenophon lib. 2. de *Pædia*, ſive *Inſtitutione Cyri*. Unde Tragic. in *Medea*, Act. 3. v. 504.

Xenophont.

Ingrata vita eſt, cuius acceptæ pudet
Retinenda non eſt, cuius acceptæ pudet.

Senec.

Igitur ſine honore mors prædicanda, & nihil moleſtius excogitari poteſt, quàm mors in vita. *Bonum eſt enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet*: dixit Paulus. Delicatè tractandus eſt honor, propter ſplendorem vitæ, quia vita ſubſiſtit in ſplendore: equidem cùm vitam honor informet; exule honore, evaneſcit. Fragilis eſt: verùm iactura fortis: fragilis, quippè pendet ab aliena æſtimatione: fortis, cùm cor etiam vulneretur in crine; ita ut qui non ægrè profunderet vitam, moleſtè ferat evacuari vel in minimo gloriam. Quit ergò infelicitate dici: *Quaſi morientes, & ecce vivimus*: neutiquàm verò, *Quaſi vivimus, & ecce morimur*. Diceretur iurè, ſi vità frueremur ſine honore: igitur vita inhonora non eſt vita.

1. Cor. 9. 15.

Honor, vel in crine offenditur.

2. Cor. 6. 9.

2 Lex celebris erat apud Romanos de Veſtalibus. *Quæ in inceſto fuiſſet deprebenſa* (ait Vincent. Chartarius de *Imagin. Deorum*, cap. de *Magna Matre*) *viva adhuc feretro imponebatur, & tanquàm mortua efferebatur cum propinquorum ſuorum luctu, ſequentibus mœſto cum ſilentio Pontificibus, & Sacerdotibus.* Haud virgo infelix tradebatur in mortem, cui dediderat crimen. Vita mulieris in pudore ſtat: ſecluſo tamen, ſupervacua mors: & minimè effertur in quemlibet ſeceſſum, ſed in ſepulchrum: quoniam quæ perdidit gloriam, quaſi perdidiſſet vitam.

Chart.

Mors ſupervacua ubi honoris ſepultura.

Fas non erat ſupplicium Veſtalis: decernendum iuxta qualitatem criminis, & nobilitatem conditionis: ac ut aggravaretur animadverſio, Veſtalem collocabant in ſepulchro: ſiquidem gravior & moleſtior erat pœna, dum moriebatur in vita. Neutiquàm mortuam continebat feretrum, quæ commiſerat flagitium. Adhuc viva effertur, & moriebatur; ut tormento vitæ dedecoris, tolerarer in feretro vitam mortis. *Vita ſupplicium eſt*: dixit Seneca ad *Polyb.* cap. 28. Erat vita ſine honore: & acerbius portò cunctis cruciamen, omnes ſcire commiſiſſe crimen. Hoccine funus cogitarunt prudentiores in ſupplicium & in exemplum. In ſupplicium, quia ius non erat ut viveret, quæ ab honore cecidit. In exemplum, ut reliquæ potius amplecterentur glorioſam mortem, quàm ſceleribus deturpare claritatem. Eximius honos (cui erga Veſtalem Romana Reſpublica propensè ſtuduit) meritò Virginis infidelitate evanuit: atque in ſepulchrum viva defertur, quæ à cunctis quaſi Diva adorabatur; ut noteſceret non ab aliis, ſed à ſe interfici, dum non conſuluit caſtitatis pudori. Pro ea florebat ipſius & templi flagitioſum opprobrium, ac iurè viva inducitur in ſepulchrum. Fas ergò non erat, ut inter nobiles ut nobilis viveret, quæ ſplendore claritatis non floreret: igitur pluris æſtimatur gloria, quàm ipſa vita.

Acerbo pœna mori in vita.

Senec.

Ipſum crimen eſt gravius perpetrāti cruciamen.

2. Reg. 24. 12.

3 *Trium tibi datur optio* (dixit Gad Propheres ad David) *elige unum, quod volueris.* Quæ tria hæc? Fames, peſtilentia, vel victorum iam victoria. Quid ergo David? Anguſtiæ ſunt undique: *Incidam in manus Domini.* Prudenter quidem: homo ſi percutit, de vulnere gaudet, Deus verò vel mortificans dolet: & Dei eligit flagellandus flagella, qui ſane dat nobis & lachrymas in menſura. Homo famam proterit, ſi gladium ſtringit: at David eligit Dominum etiam ſtringentem gladium; quippe vel cùm furorem iurè in peccatores exprimit, honori delinquentium cogitatò conſulit.

Verſ. 14

Deus etiā dum punit, honori conſulit.

In manus Domini incidere amplectitur; dum electione malorum regius omninò animus in ſingulis coarctatur. Gravior utique manus Domini, quàm hominum; ſiquidem illius imperio & voluntati nihil privilegiatum. Minas inimicorum vel ſine regno David quibat declinare, iram Domini nullatenùs fugere. Cur ergò non hoſtilem manum, ſed Domini optat; ubi propalàm vitæ dilectæ periculum fiebat? Ne caderet honore, qui vixerat maieſtate. Fama virtutis David longè lateque diffuſa, vel inimicis formidabilis, apud quos etiam in ſenectute florebat illuſtris. Ad ſummum honoris, gloriæque culmen ita geſta perduxerunt, ut fulmen iudicarent hoſtes de cœlo in internetionem excuſſum. Summum dedecus iudicabat, illis qui ceſſere, victoriam cedere: & vindictæ Domini committitur & ſubmittitur etiam cum periculo vitæ; quippe nobili ſatius, & glorioſius videbatur amittere vitam, quàm tot geſtis & annis partam proſternere famam. Ad quid ergo in gloria vita? Non eſt res magis ſine honore moleſta. Pertæſus illam, Achitophel ſuſpenditur. Quia rex non obſequitur, à ſeipſo ſuffocatur. Priùs fecerat inflatio ſpiritus, quod executus eſt laqueus. Auctoritas in conſiliis Architophel plaudebatur à cunctis: reiectum eſt conſilium eius utile, ubi apicem inſtruebat auctoritatis: & fixò à ſeipſo homo vanus intercluditur, illicò ut eius à Principe conſilium temnitur; igitur inter dedecus ſuſpenſionis, & nævum defloratæ auctoritatis, maluit cum dedecore amittere vitam, quàm ſine decore habere languidam famam. Superfluum erat vivere, cum vita abſorberetur procul honore.

Facilius temnitur vita, quā bona fama.

2. Reg. 17. 23.

4 Amaro animo, puncto corde ſagittis dedecoris, quas occultè inimici vibraverant in pupillam honoris; queritur Pſaltes Regius de pondere amiſſæ felicitatis: ac ingemiſcens, ait: *Reſtitue animam meam* (vitam ſcilicet meam) *à malignitate eorum.* David igitur vitam habet. Cur ergo non queritur de inimicis, ſed de iniuria necis? Mortuus erat à corde, & gaudens aurà vitali. Vita nobilis haud pendet ab aura, ſed à gloria: calumniis ſycophantarum, ac tricis inimicorum, qui apud omnes illuſtris, malè audiebat. Simulatio malignantium fictis criminibus gloriam illibabilem denigrabat: & ſeſe meritò apud homines iudicat mortuum, dum illo ſuperſtite, floret adhuc improperium: igitur ſepelitur nobilis vita, quùm viget cunctis propudioſa fama.

Pſal. 34. 17.

Sepelitur nobilis vita, vigente infamia.

Obſerva. *Reſtitue*, ait: igitur non habebat. Quidum? Apud infeſtos poteſt eſſe fama, ſed non vita: & dicit vitam, non famam; ſiquidem vita Regis nondum floret, ſi non claret. *Reſtitue*, ut vivam: quippe ſine honore, inter honoratos creperum vivere. Avellitur enim anima, ſi langnet gloria: minimè vivit qui vivit, ſed qui vivit honoratus: vitam arripit etiam falſiſsimum dedecus: & David iurè expoſcit animam reſtituendam: igitur illam cum fama inimici malignitate tetulerant.

Haud vivit niſi honoratur.

5 Naboth qui renuit vendere vineam (parentum hæreditatem) huius veritatis apparebit ſpecimen. Ficto crimine blaſphemiæ, ut ſecuriùs maligna cogitatio haberet optatum exitum; dum crimen velamine religionis micat indutum; innocens mortis reus, traditur turpiter lapidandus. Miſerunt itaque Seniores civitatis ad Iezabel; dicentes: *Lapidatus eſt Naboth, & mortuus eſt.* Hoc Acab renuntiavit Regina, verùm phraſi, & ſubtiliori ſententia. *Surge* (ait) *non enim vivit Naboth, ſed mortuus eſt.* At quid ergò ſententiarum geminatio, ut nota fiat Regi civis nobilis interfectio? Si mortuus eſt, profectò non vivit. Si non vivit, mortuus eſt: quare igitur explicat procax Regina flagitii

3. Reg. 21. 15.

Non eſt vita ſine honore.

acti firmitatem? Ut exprimat vel invitè in Naboth duplicem mortem. Vivit homo nobilis vitâ, & etiam accepta atque honeſta famâ. Falſo crimine Naboth peſsima fœmina detraxit honorem: lapidibus halitum fecit avolare vitalem: & dum morti ſine noxa traditur iniuſtè Naboth; rectè ab hac leæna dicitur, *Non vivit, ſed mortuus eſt*: ſiquidem amittens vel ficto crimine famam; neutiquàm haberet, etiam ſi viveret vitam.

Mors enim civilis plures cauſas habet, quàm naturalis: igitur acriùs pungit omiſſio urbanitatis, quam ſagitta potentis. Cum Aman omnia, & iudicio proprio (uti Sponſus potius Fortunæ, quam Zare) haberet abunde; cum Zare querebatur de Fortuna uxore. Nullum cordi in volubilitate fortis hærebat acriùs cruciamen, quàm videre Mardochæum cum pertranſiret, ſedentem. Telum validiſsimum inflato pectori, dum pertranſibat, tranſire. Grandem igitur in pectore frigiditas genuit vomicam, ubi dolor concitavit contra Fortunam querelam. Deglutit faſtus placidè camelum ſceleris, & excolat lentè culicem frigiditatis. Omnia vulturis inſtar ſuperbi digerunt, eſcâ autem inurbanitatis ſuffocantur: quoniam excogitabile à tyrannide malunt ſuſtinere tormentum, quàm leve omninò tolerare ludibrium.

Eſth. 5. 13. *Inurbanitas ſuperbũ intime pũgit.*

6 Potiùs conſcientiæ ſtimulis, quàm pondere prælij primus Rex Iſrael inter anguſtias deprehenſus, ingemebat coram filijs & hoſtibus moribundus: qui quidem mœrens (profectò mœſtitudo, ubi mors mendicatur pro beneficio) dixit ad amigerum ſuum: *Percute me: ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me, illudentes mihi.* Perpende. Mori cupit, ne moriatur: non novum, licèt furor. Si attentè obſervaveris, mortem appetit, minimè quia morietur, ſed quia ſubſannabitur, *Interficiant me, illudentes mihi.* Illuſio ludibrium eſt, cæterùm nequaquàm mors. Mors eſt utique & intimis cruciatibus, minima contumelia in Regibus & Principibus: ita ut animus haud langueat ad mortem; & vires abſint, ut videant proculcatam maieſtatem. *Illudentes mihi*, interficient *me*. *Me*: emphaticum eſt. Alijs illudent, & vivent: ludibrio interficient *me*; igitur quod gregarijs opprobrium, Principibus mors. Vivunt Reges maieſtate, moriuntur exuti honore: & perperam invenietur auctoritas, ubi prævalet ſubſannationis indignitas. Haud interficient ſagittis, ſed venenatis opprobrijs: interfice me, ne illudar ab illis: paratus quidem ſum ex gladio amici ſuſcipere mortem; ſed renuo totis viribus reſpicere vel ab inimicis deploſam auctoritatem. Adſum validus ad vulnera mortis, & deficio in quocunque parvo vulnere dignitatis. Interfice me, ne rurſùs interficiar. Plures Principes moriuntur ludibrio; non veneno. Sed hem! Quodnam præſentius venenum, ubi ludibriunt? Duplex vita ineſt huic infelici corpuſculo: & quæ ab anima, & quæ à gloria. Interfice me, ne ſuccedat amariſsima mors. Hæc opprobrium, illa tormentum: & tormentum ſtrenuè ſuſtinetur à Principe, ac ægre fertur vitalitas ſine honore.

1. Reg. 31. 4. *Facilius toleratur tormentũ, quàm ludibriũ.*

7 Adhuc ſuper haſtam incumbens, inſtabat: animam agens militi quidem ocurrenti dicebat: *Interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ & adhuc tota anima mea in me eſt.* Nonne vulneratus erat vehementer à ſagittarijs, & glaudius penetrarat intima pectoris? Cur namque tota animâ dicitur eſſe, quem tenent mortis præ vulneribus anguſtiæ? Mors Principis non à morte timenda, ſed ab iniuria. Qui illuſuri nondum acceſſerant, cæterùm appropinquabant; & illo articulo dicit: *Adhuc tota anima mea in me eſt*; needum altis vulneribus ad viſcera acceſsit mors; ſiquidem illæſa gloria, in Principis interitu remanet vita. Parvipendo pectoris halitum, modò ſervetur ſine vulnere ſcutum. *Interfice me, quia tenent me anguſtiæ*; non anguſtiæ mortis, ſed dignitatis. Has patior, illas cupio. *Interfice me.* Quiſque fato præceps vel ultrò tendit in mortem; nemo niſi infelix in exauctoramen. Mors, uti ſors ſecunda celebretur, non infortunium; ſi ſtat cum officijs honoris regium ſceptrum. Non eſt opprobrium mors. *Interfice me.* Peius eſt morte, vivere abſque claritate; & amplius ludibrium vivere, ſi accedit dignitas mori. Hæ modò premunt anguſtiæ; adhuc eſt anima, & tota; dummodò diadema vindicetur ab iniuria.

2. Reg. 1. 9. *Et in moribundo ſtat vita plena, ſi manet gloria.*

8 Deinde: Venerunt ergo Philiſthijm, & *Præciderunt caput Saul* ::: *corpus verò eius ſuſpenderunt in muro Bethſan.* Morte igitur acerbiorem mortem eluſit, dum adactis vulneribus animam infelicem efflavit. Suſpendium, ſupplicium indecorum cunctis Gentibus. Quid Principibus? Aptè ergò huiuſmodi ludibrium confertur morti; & timet interfici, dum illudi: ſiquidem mors, & ſummopere gravis, eſt vita Principis devenuſtata abolitione honoris. Reges enim fato cedunt, quia mortales, & quia Reges. Præcinit Davit: *Ego dixi Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de Principibus cadetis.* Cadunt ergò bifariè: moriuntur, ſicut homines mortalitati obnoxij; & etiam ſicut Principes, dum ab eis abeſt clara maieſtas honoris. Honor decerpitur à dedecore, vita deturbatur à morte: & ludibrium Saulus vulneratus vocat meritò mortem; quia ſeipſum contemplabatur ut Principem: qui quidem non tantùm ſicut homines, tragicè moriebatur vitæ mortalis inopiâ, ſed ſicut Rex, preſſus honoris anguſtiâ. Auguſtæ vitæ ſplendor maieſtatis eſt individuus, & ubique comes. Alij moriuntur in morte, Primates vita; quippequàm non eſt vita, niſi cum gloria.

1. Reg 31. 9. 10 *Principes moriuntur, quia mortales & quia principes* *Pſ. 81. 7.*

Vita nobilis decerpitur ab infamia.

9 *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*: ideſt, *in vitam viventem*, ut ſæpe diximus. Cur igitur ſic exprimitur vita primi hominis, quaſi vita poſsit eſſe, & non vitalis? Haud novum, quòd vivat, dum vitam habet; qua gaudet, & feliciter floret: aliquod (ut opinor) latet in Tautologia cogitamen, dum homo dicitur factus in vitam viventem. Profectò. Creatur, ut præſit cunctis, dignatus maieſtate ſplendentis honoris. Vita Principis in maieſtate ſtat: vita ſine maieſtate non eſt Principis: & dum formatur ad dignitatem; exponitur Adamus factus in vitam viventem; quippe in ipſa vita non eſt Principis vivere, niſi vivat cum honore in collata dignitate. Sat ſit, quia in ſequenti Tautologia ubertim.

Gen. 2. 7. *Vita claritate honoris eſt vita vitalis.*

10 Qui gloria & honore coronatus, ſuper opera manum Dei conſtitutus, omnia eius imperio & nuti tradita ſunt. Accepit honorem; ac meditanter dicitur factus homo in animam viventem; igitur ſine honore non erit homo, cuius vitæ, præut hominis, eſt ſplendor conſtitutio. Perpende. *Erant & creata ſunt*, dicitur in laudem Dei à Senioribus in throno. Diſtinctè accipitur huiuſcemodi auctoritas ab Expoſitoribus, & ſolummodò de rationalibus. Quidam de iuſtificatione, & reformatione hominum, ex adiectione humanitatis ad Deum (ut ſæpe ſuperiùs expoſui) aptè teſtimonium delicant; quaſi qui in throno dicant: *Rationales creaturæ erant, & creatæ ſunt.* Quomodò creatio, quæ eſt ex nihilo? Proclive. Conſtitutus eſt homo in ſummo honore, & ſublimi auctoritate, dignatus dotibus, & decoratus muneribus. Denigratur ſplendor conditionis glaſto vafri ſerpentis, in voluptate bracteata ſupplantationis: qua corruit Adamus, & cunctum humanum genus. Erant homines, & poſt creationem ſunt creati; quia non erant, ſicut fuerunt conditi. Eſſe hominis vita cum honore eſt, nullatenus eſſe ut ſic: & dicuntur creati & exiſtentes, reſpectu tantummodò reformationis honoris. Erant ſanè ſine honore, at ſine honore non erant. Non erant, quoniam evaneſcit hominis vita, exiſtens in honore ſine honoris excellentia.

Non eſt homo, qui ſine honore vivit. *Apoc. 4. 11.* *Eſt & non eſt.*

DIDASCALIA XIX.

Maxima vitæ iactura dilatio eſt.

1 CElebrem iſthanc Sententiam profert Stoicus Cordubenſ. de *Brevit. vitæ*, cap. 9. Perſtringit enim gnome oſcitanter in Religione viventes, & iacturam vitæ, vitæ dilatione minime contemplantes: igitur aufugit ſpiramine vita, dum differtur anhelare in ulteriora. Intende. *Recordabor* (ait Deus) *fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat.* Ecce effectus animæ viventis, præcipuè in ſtatu, quem habemus Religionis. Si creſcit in perfectione; homo eſt utique, & cum anima vivente. Si movetur, vivit: haud vivet ſi non movetur: patet igitur in vita vivus, ex cognitione profectionis, & motus. *Magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Hæc Senec. *Epiſt.* 1. Sed inquires, quid illud in vita aliud? Poteſt eſſe aliud in vita, quàm vivere? Sanè: *Mori.* Multoties morimur, ubi ad vitam ingredimur: non tantùm ſi malè agimus, ſed etiam ſi nihil agimus: & dum nihil agimus, ut proficiamus in ſpiritali vita; non maxima pars amittitur, ſed prorsùs tota. *Elige vitam, ut vivas*, dicitur in lege. Documentum micat in geminatione: quandoquidem vitam religioſam eligimus, ut vivamus; ac perpetuis imperfectionibus nequaquàm vivimus. Væ nobis: igitur nomen habemus, quo vivamus, & mortui ſumus. *Memores eſtote uxoris Lot.* Perivit ſalva, in quo infelicitas ſumma: ſiquidem periculum ſpontè invenit, ubi periculum fugit. Nihil lachrymabile magis, quàm æquoris æſtuantis minas ſapienter eludere, ac in portu naufragari. Claudicant permulti à ſemitis legis: ſed in ſemitis! Proh dolor! Pudet videre multitudinem iacentem ſuper faciem telluris, poſt tranſitum maris, & abſentiam Pharaônis. Qui in tenebris iuſti, fœdè in luce apparent ſceleſti; ut diſcant reſpondere vocationi, quicunque digni ſunt habiti: ne ſalvi facti per dextræ Omnipotentis benificium; in ſolitudine demeritis proſternantur. Quid ergò Deus faciet, dum homo in terra ſanctorum iniqua geſsit?

Senec. *Gen. 9. 15.* *In ipſa vita, propoſiti inanitate iactura vitæ.* *Senec.* *Vita Monachi nõ perfecta, non eſt vita.* *Deuter. 30. 19.* *Luc. 17. 32.* *Summa infelicitas, procellas maris eludere, ac in portu naufragari.*

S.Benedict.

2 Conſule, ò Monache, Patrem tuum. *Dominus expectat nos quotidiè, ideò* (ait Glorioſus Patriarcha N. Benedict. in *Sanct. Regul. Prolog. vobis*) *propter emendationem malorum, huius dies vitæ ad inducias relaxantur.* Bellè, ne dilatione perfectioris vitæ vivamus morti; & non ſolùm vana cogitatione induciarum privemur vitâ perfectâ, ſed etiam vitâ. *Reverſa eſt anima pueri intra eum & revixit*, dicitur de pupo, à zelatore honoris Dei Elia, mirificè ab inferis revocato. Minimè redundat ly *Revixit*: ſiquidem multi ſpiritaliter inſpirationibus crebris excitantur; & nequaquàm reviviſcunt. Vitam indicat motus, ſpiritum halitus: & perperàm aſtruent oculi halitum, etiam in vivente vitalem; ubi nullam ſpiritus explorat operationem. *Adhuc tota anima mea in me eſt*, dixit ſauciatus Saul. Quando anima rationalis diviſa, ut in Saul ſpecialiter inſuerit tota? In vita, ſi ſoluta Monachorum: igitur ita vagatur impetu affectuum, ut corpus ſit in clauſtro, ſed mens in foro. Hæc non eſt *Via vitæ*, quam Benedictus Pater preſsit veſtigijs, ſed deſcenſus Averni, & umbra mortis. Nunc interibunt, ſi diviſum cor eorum.

Et mori vita.

3. Reg. 17.22.

2. Reg. c. 9.

Corpus in chore, & mens in foro.

Idem.

3 Ethnici monitis etiam excitemur ad ſenſum; ut pateat documentum clariſsimæ rationis beneficium. *Moleſtum eſt, ſemper vitam inchoare* (exclamat Stoicus epiſt. 23.) *Male vivunt, qui ſemper vivere incipiunt.* Taxatur vitæ rectitudo, dùm melioris ſit dilatio. Perfectio de die in diem, profectio pro momentis promittuntur. Quando hæc erunt? Quod non eſt hodie, cras minus aptum. Vitam quotidie inchoas, quod moleſtum. Quid ergò? Vis proficere? Non. Vis deficere? Nequaquàm. Quid? Sic eſſe. Non eris ſic: currentem non apprehendit, quicumque non currit. Manere in via, & ſic manere, eſt amentia: per viam igitur ambula. In via eſſe, & non progredi, eſt eſſe extra viam, ubi & ambulantium nulla eſt profectio; quia ambulatur in circuitu. *Ambula per viam*: ſic erit inceſsio. Siquidem dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, & ad Dominum; ac quicunque in itinere ſiſtit, non progreditur. Alienum eſt igitur à peregrino, niſi ut vires acquirat, quælibet manſio. Dicit Benedictus Pater ubi ſuprà: *Pergamus itinera eius.* Igitur qui nihil in perfectionem agit, in itinere eſt, ſed minimè pergit: imò licèt pergat, non eſt in itinere, ni celeriter currat.

Senec.

Malè vivit, qui ſemper vivere incipit.

Baruc. 42.

Bened.

4 Profert monitis Patriarcha Glorioſus occultam cauſam: *Currite* (ad Monachos loquitur) *dum lumen vitæ habetis.* Et ſubindè: *In cuius regni tabernaculo, ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus currendo minimè pervenitur.* Currere iubet Monachos Sanctus Patriarcha; ſiquidem dum non currimus, in itinere non pergimus Monachorum itinera: quandoquidem ſi Sæcularibus per ducatum Evangelij ſufficit ambulare, oportet Monachos currere, imò volare. De Cherubinis dicitur ab Ezechiele: *Pedes eorum pedes recti.* Alij ut notavimus *Tautolog. 1. Didaſcal. 9.* num. 2. *Pedes eorum pedes pennati.* Cherub idem eſt, ac *Perfectio.* Aptè exponitur volatus: quippè in Monachis ſinguli gradus ætatis; debent eſſe volatus in apicem perfectionis. Volatus? Profectò. Currunt, non ambulant in itinere perfectionum, & allevat Dominus omnes qui currunt. *Exite obviam.* Interlin. Gloſſ. *Exite obviam. Occurrite in aëra.* Ecce tenor legis Sponſæ. Exire obviam cuilibet dicitur, quod quidem greſsibus obtinetur; at cùm clamor ſit Sponſæ; in aëra citò iubetur occurrere. Librari corpora in aëra, minimè poſſunt, ni pennæ, ut ſubleventur, aptentur: ac iure Sponſis dicitur, *Occurrite in aëra*, ut ſciat quævis Sponſa, oſcitanter ſe gerere in munere dignitatis, ni greſsibus volet in faſtigium perfectionis.

Idem.

Monachis ſinguli gradus ætatis ſint volatus in apice perfectionis.

Ezech. 1. 7. Hay.

Matth. 25. 6. Interlineal.

Greſſus in Monachis debet eſſe volatus.

5 *Quid eſt* (invehitur Seneca in ſeipſum, *Præfat. lib. 1. Quæſt. natur.*) *quòd ſuſpiciamus noſmetipſos, quia diſsimiles deterrimis ſumus?* Perperàm claritas commendatur virtutum, ex fœditate fœcunda vitiorum. Haud floret nimis, quod præfertur malis. Minimè magnus, ſi cum Pygmæo ſtaturæ contentio ſit: erit ſanè, ſi ſedet ſolitarius, & levatur ſuper ſe. Non enim aliter magni Monachi, ſed ipſi in nobis, noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis. Perpende modum, non ex aliquo Eccleſiæ Patre, ſed ex Ethnico, quaſi perfectionem haud doceret zelus, ſed hominis ratio. *Quod pertinaciter ſtudes, & omnibus omiſsis* (inquit Seneca *epiſt. 5.*) *hoc unum agis, ut te quotidie meliorem facias: & probo, & gaudeo: nec tantùm hortor, ut perſeveres, ſed etiam rogo: illud autem te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, ſed conſpici cupiunt; facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere notabilia ſint.* Sed quæ? Sufficit ne exterior Monachi ſpecies, habitus, forma, negligentior barba, & quod frons noſtra pallida populo non conveniat? Hæc putantur frugalitatis indicium, verùm minimè perfectionis arcanum: ſiquidem gloria Monachorum ab intus, ex qua foris rutilat perfectionis radius. *Suſpiciant omnes* (ſubdit idem) *vitam noſtram; ſed & agnoſcant.*

Senec.

Non floret nimis, quicunque præfertur malis.

Senec.

Faciat Monachus quæ in habitu notabilia ſint

Idem.

cant. Quid ergò? Eadem faciemus, quæ cæteri? Nihil inter nos, & illos intererit? Plurimum. Diſsimiles eſſe nos vulgo, ſciat, qui acceſſerit propius: qui domum intraverit, nos potiùs miretur, quàm ſupellectilem noſtram. Hic mihi modus placet. Dum Sæcularis ſequitur genium, & exultat voluptatis voluntarium mancipium, tempus terens ſcurrilitate, luxu, faſtu, comeſſationibus, ebrietatibus, impudicitijs, immemor æternitatis, hærens temporalibus, abdictis cœleſtibus, pœnitentiam horrens, proſperitatem inſequens, de virtute querulus, & vitiorum mediaſtinus; eadem faciemus, quæ cæteri? Nihil inter nos, & illos intererit? Propoſitum illorum eſt ſecundùm naturam vivere: noſtrum verò ſupra naturam. Non eſt, ut illi aſtruunt, contra naturam, cubile humi poſitum, odium divitijs indictum, torquere corpus, & faciles odiſſe munditias. Quid ergò? Eſſe aliquid in carne extra carnem, & arripere in mundo vitam cœleſtem. Hic mihi modus placet.

Corpus caſtigare non eſt contra naturã, ſed ſupra.

6 Intus omnia diſsimilia ſint, & operationes uti noſtræ præexcellentes: ita ut in illis quicunque acceſſerint; vitam noſtram aſpiciant, & Religioſos agnoſcant. Morum erit communis regula, ni ſint aliqua in habitu, & genere notabilia. Quiſquis Monacho iungitur, quaſi è ſalis tactu æternæ vitæ ſapore condiatur: ac dum Sæcularis ingreditur Monaſterium, quemlibet veneretur, uti miraculum. Miretur, obſtupeſcat, conſiderans etiam ſine ſtudio apicem perfectionis, in eadem natura, & conditione humanæ fragilitatis. Miretur eſſe hominem, videns hominem cœleſtem, non præſtantioris naturæ iuvamine, ſed obſervantioris frugalitatis regimine: atque in ſe reverſus reſipiſcat ſceleris, dum in Monachorum quovis intendit curioſus contraria operibus ſuis.

Contempletur ſæcularis miraculũ, dum videt Monachum.

Verùm hem! *Omnia omnibus efficimur:* Haud ſcio (aiebat Gregorius Naziancen. Oration. ad *Epiſcop.*) *utrùm ut omnes ſervemus, an ut perdamus.* Cultus auctoritatis eſt Pauli; at intentio ignoro, an ſit Religioſi. Nullatenùs vita noſtra temperanda eſt (uti dicunt Stoici) inter bonos mores, & publicos; ſed moderari publicis, bonis moribus. Perpende fatuitatem. *Id agamus, ut meliorem vitam ſequamur, quàm vulgus, non contrariam* (ſi publici, & boni mores ab illo conferuntur; dummodò non contraria, non erit melior vita, imò nec bona) *alioqui quos emendari volumus, fugamus, & à nobis avertimus. Illud quoque efficimur, ut nihil imitari velint noſtri, dum timent, ne imitanda ſint omnia.* Quid vobis videtur de huiuſmodi doctrina? Fiunt ſanè omnibus omnia; verùm non ut cuſtodiant, ſed ut omnes perdant. Quid vobis videtur? Ipſe Seneca barbatus Magiſter, cautione circunſpecta, ſeſe cum præceptis damnat. Sic enim ſubdit: *Videamus ne iſta, quæ per admirationem parare volumus, ridicula, & odioſa ſint.* Quid enim in Monachis magis ridiculum, quam uti cum Sæcularibus ſæculi ſalibus, ludere vocibus, auctoritatem adulari, phantaſiæ blandiri, extendere ſermonibus vanitatem, & fovere indulgentià ſubriſus vaniſsimam propenſionem? Ne erit pabulum, ut omnes ſervemus? Potiùs decipula, ut omnes perdamus: igitur Sæcularis rimans in Religioſis leviſsimum utcumque defectum, ſolutiſsimum facinus iudicat licitum. Difficulter ſeſe compeſcit in barathrum prolabentem, cùm viderit Monachum eadem vanitate laborantem. *Scurrilitates verò, vel verba otioſa, & riſum moventia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus.* Sic N. Patriarch. *cap. 6. Regul. Sanct.*

Gregor. Naziãz.

Aptari ſæculo, lubricũ Monacho

Senec.

Excuſatio indigna Monachorum de converſatione ſæculari, & ſæcularium.

Idem.

Monachus in omnibus locis ut Monachum ſe gerat.

S.Benedict.

Haud cohærent lugere, quod Monachi, & facies peccatorum uſquequaquè ſumere: ſequi habitu extrinſecè perfectionem; & gravi corde diligere vanitatem: faſtus, arrogantia lepidula, humilitas ſuperba, comitas ambitioſa, agendi ratio politica (quæ quidem Sæcularium eſt cacoëthes, & honos) ac exhibere ſemetipſos ſicut Dei præſtantiſsimos Miniſtros: etenim devenuſtat ſpeculum Religioſæ vitæ flocculus, vel umbra Sæculi. In addictis Deo habitu, genere, ac converſatione pia, perperàm propalàm apparet vel levis umbra.

7 Obſervavit Pauſanias, ut notavimus *Didaſc. 6.* num. 14. homines in Area Iovis Lycæi ſtare aſcios, ideſt, ſine umbra. *Si fortè homines, beſtiæque in loci ambitum ſe immiſerint, nullas* (ait) *è corporibus umbras reddunt.* Figmenti huiuſcemodi videtur veritas, ubi claret in Monachis religioſitas. Umbris Sæculi appropinquant felices éréæ cœleſti Iovis (humani generis vindicis) vel belluæ, ut appareant homines: ſiquidem cœleſte præſcribitur inſtitutum, ubi promittitur ſeria converſio morum. Hic quaſi exuti veteri homine, novum induunt, qui ſecundùm Deum creatus eſt, ut umbra Sæculi in Deo devotis non ſit: ac ſanè erit ſtultitia, quòd vel in area Iovis appareat bellua: & fraudetur in ſanctuario propoſitum voluntatis, cùm ingrediatur gratiâ melioris converſationis.

Pauſ.

Area Iovis qualis

Religioſi ſine umbra ſæculi.

Feras illuc confugientes (inſit) *venator non*

Idem. Bern.

non inſequitur. Feras homines inſequitur venator diabolus, ut dicit Bernard. ſuper Pſalm. *Qui habitat*, verſ. 3. & minimè capit, quia habitant in adiutorio Altiſsimi, qui quidem gratìs liberat de decipulis retium, ac de laqueo ſtudiosè venantium. Ubi fuerit umbra, ibi figitur inimici ſagitta. Si in habitatoribus non eſt umbra defectus; venatoris ictus validiſsimus, caſſus. Vel non inſequitur in arĕa incolas homines, vel ſequitur in aſcijs aves continuò volantes.

Dedecet inſtitut. Religionis, vel veſtigiũ vanitatis.

Paul.

Defraudati lubricis mundi bonis,
Cæli fruuntur gaudijs.

Cecinit Paulinus ad Cytherium. Non ſit umbra in Monacho, & fraudabitur venator à deſiderio ſuo. Sic inſtituatur vita, ut non ſit umbra: dedecet enim quòd in area ſit Iovis, & micet in anima vel veſtigium vanitatis.

8 In Ægyptijs figurabantur appetitus ſenſuales, ſicut in Iſraëlitis fugientibus, confugientes ad aram Religionis: ſed ſciendum, omnes Ægyptios in mari lachrymarum, nullo dempto, ſuffocandos, ut fauſto alite, ac columnâ ductrice micantis lucis, ingrediantur in terram promiſsionis. *Non remanebit* (ex gregibus) *ungula*, dixit Moyſes ad Pharaönem, dum exeundi tantùm hominibus conceſsit vel invitus facultatem. Nec ungula: fiet proculdubio egredientibus catena. Plus enim homines trahuntur ſpeciebus, quàm facultatibus: ſi remanet ungula, in ſervitutem revertentur corda: & in diriorem detrudentur ſervitutem; igitur ultrò venient poſt acceptam libertatem.

Exod. 14. 28. Pœnitentia vera. Exod. 10. 26.

Servitus dira quæ voluntaria.

Deinde. Aliquid innuit in propoſito; dum curat, nihil remanere in Ægypto: cura eſt ergo de hominibus, non de bobus. Verum quid intereſt, quòd remaneat, vel non remaneat ſelecti gregis ungula, ut fruantur libertate cupitâ? Promptiores equidem egrediuntur, ſi nihil de Ægypto tollunt: præſentes enim ſpecies ſtimulis præteritorum memoriam pungunt. Cura adhibenda eſt, ut nihil ex Ægypto Iſraël ſumat; minimè quòd ungula infirmi pecoris maneat. Utrumque malum: verùm hoc peſsimum. Ungula dicitur ſignum pecoris in pulvere, vel in terra. Ergo dum egreditur in terram promiſsionis, gregis Iſrael in Ægypto haudquaquàm remanebit vel ungula. Per Ægyptum ſignatur Sæculum, ſive mundus; in Iſraël perfectus uncunque Religioſus: & prohibitur in Ægypto remanſio levis ungulæ notæ; dum ſit ſermo de vitæ ſanctæ religioſitate: ſiquidem ut rutilet Monachorum propoſitum; in Ægypto aut mundo, Religioſi nec veſtigium. Quali igitur imbuetur Sæcularis documento diſciplinæ; ubi in mundo videt veſtigia ſigillata (& etiam ſugillata) Religi[illegible]

Nec ſeculi in Monacho, nec veſtigium Monachi in ſæculo.

Aliquid ſecum afferre ex Ægypto, malum eſt; igitur uſquedùm conſumatur, haud concedetur Manna: ſed conſumetur profectione & itinere. Remanere verò in Ægypto aliquid, quanvis ungula, ex filijs Iſraël; præpedit iter, ne accedant ad Deum Iacob. Unde nec ungula remanebit ſelecti Religioſi gregis; dum proficiſcitur in terram promiſsionis: ne excuſationem Sæcularis habeat de peccato, dum veſtigia Religioſi contemplatur in Ægypto. Exemplar enim Nigri Monachi habemus in N. Glorioſiſsimo Anteſignano: igitur ut ait Gregor. Magnus in *Præfat.* lib. 2. *Dialog.* etiam ut terram calcaret: *Quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat, retraxit pedem.* Breviter, ſed eximium præconium: retraxit pedem, ne vel deſpectus remaneret veſtigium.

Sæculari miniſtratur ſubterfugiũ de peccato, ſi contemplatur veſtigia Monachorũ in ſæculo.

Greg. Magn. Cur S. Benedictus in deſpectu mundi retraxit pedem?

Denique. In area Iovis ſumus. Sine umbris, vel imperfectionibus neſcit inimicus, quò tendat arcum. Inſtar leonis veſtigia impreſſa cordatus Monachus deleat, ne in retia vel currens cadat: ſine umbra inimicus avolabit, quia ſemita in pedibus eius non apparebit. Abſonè propoſitum, & libertatem nanciſcetur, ſi veſtigia pedum, vel à fugiente imprimuntur. Unde in Ægypto nec ungula remanebit fugientium in patriam; ne diabolus venator per veſtigia præſagus ſequatur prædam. Iccircò Rabbi Salomoni lubet Rachelem furatam idola patris; ne iſte conſuleret, quò Iacob pergeret: igitur quicunque fugit inimicum & ultorem, ut Iovis areâ conſequatur libertatem; vivere debet ſine imperfectionis umbra, vel meditanter abolere veſtigia.

Qualis Monachi vita?

Rabbi Salom. Geneſ. 31. 19.

9 Occurrit furtum Rachel, ut è ſomno religioſum excitetur cor. Symbolum mundi exhibetur Labanus, & meritò: in illo quidem nihil inerat niſi dolus, ac multis placet, quia ludit: igitur experimentum præſentis fraudis, eſt eſcâ doli illecebra ſubſequentis. Fugit enim Labanum, qui domus propriæ deſiderabat augmentum: quod quidem duntaxàt obtinetur in ſpiritali vita, dum peſſundatur fugiendo mundi fallacia. Fugit igitur Iacob aliquibus fortunæ bonis, inter quæ pulchritudo dilectæ, & nactæ Rachelis. Hæc in exitu, *Furata eſt idola patris ſui.* Perpende cunctorum meritò & iurgium, quia in domo ſancta Sæculi latet idolum. Quid ſi publicè? Verùm intende. *Rachel furata eſt idola*: non verò Lia. Heu! In Rachele exprimitur cogitatio bonorum cœleſtium: in Lia ſolicitudinum turbulentia ſæcularium. Hæc em-

Mundus ludit, illudit, & ſoquentẽ eludit.

ubi ſup. Cunctorum eſt iurgium ſi in domo ſancta ſeculi latet idolum.

blema ſequentium in ſæculo vanitatem. Illa, inſectantium cum ſponſo Iacobo contemplationem. Lia, profanæ vitæ nota: Rachel, ſacræ inſtitutionis teſſera: & idola ſubſunt in gremio latitantia Rachelis, haud in ſororis cubili larvam ſubſequentis vanitatis; in detrimentum prorsùs & propudium Religionis: igitur ſummum dedecus, quod Sæculi idola peſſundata etiam a Sæculari; ſtudioſe colantur à cordibus deditis contemplationi. Pudor, quòd mundi vaniſsima ſimulacha foveantur ſub pectoris religioſi cuſtodia.

Simulachrum mũdi eſt dedecus Religioni.

Ultrò. *Furata eſt idola.* Quàm aptè! *Furata*: Vox eximia! Furtum perpetratur ex re aliena: ac in gremio Rachelis furata dicuntur idola; quippè ſimulachra vana huius miſeri mundi, quid ſemper alienum à pectore Religioſi. Adhuc conſule. Dum inquiritur furtum imagienes abdit, quod quidem ſignat, quia in idolis ſibi complacet. Furtum indicat vel diverſionem, vel conatum curioſum: retentio verò, cum ſimulatione, haud interruptum affectum: ac furtum ex idolis alienis, & ablata ſimulare; erat error Rachelis peior priore: ſiquidem in fragilitate luti indulgeri poteſt aliquando conditionis incuria, verùm perperam ſtabilis affectus in Sæculi ſimulachra.

Furtum eſt in Religioſa vita, affectus in ſæculi ſimulachra.

Denique. Revocatur Iacob in patriam, Dei præcepto, quia illi facta fuerat terræ promiſsio; quàm felicitatem haudquaquàm aſſequeretur votum, dummodò ſocium comitaretur Labanum. Fraus igitur communis ſpei paradiſi cæleſtis, eſt retentio ſæcularis vanitatis. Revocatur Iacob in patriam: carpit iter hilaris, & detinetur in via furto prolubioſo Rachelis, ut ſciat quicumque accedit ad cor altum, inſtituto divinarum contemplationum; nihil magis præpedire anniſum in ſuperiora cæleſtia, quam ferre ſecum in via vafri mundi leviſsima idola.

Affectus in ſeculum compedes ſũt Monachorum.

10 Contemplor ſæpe in Rachele animum, vel animam Monachi tendentis in patriam, ut aſſequatur laboribus itineris proſpectam gloriam. Inſtitutum noſtrum eſt ſequi Deum Iacob, abdicatis, & abdictis idolis dolis Laban: incongruè ſane nanciſcemur finem inſtitutionis, ubi idola coluntur in ara pectoris. Pudeat ergo, quòd affectus haud ſoti à Sæcularibus, in Religioſis hoſpitentur cordibus. Nec peius, ſi hoſpitantur: aliquando igitur uti hoſpites egredientur: at ſummum profectò malorum, quòd cum vita pariter egrediantur; & furemur à Sæculo virus, quo Sæculares interire, cognoſcimus. *In Epiro eſſe ferunt fontem*, in quo (ait Nicol. Cauſin. *Parab. Hiſtor.* lib. 1. ſymb. 41.) *faces extinguuntur accenſa, & accenduntur extinctæ.* Fontem huiuſmodi pro Religione cogito, dum non fabulam, ſed veritatem in clauſtro deſignat fictio. Accedunt huc homines, & illuminantur fulgoribus: ſunt enim lucernæ ardentes in manibus. Dormitant, & dormiunt haud ſoliciti de oleo virtutis, quo foventur vitæ lampades. Clamor fit, & pavet cor. Dicit Seneca de *Brevit. vitæ, cap.* 15. *Præteritorum obliviſcuntur, præſentia negligunt, de futuro timent.* Timent, & meritò: lamentabile quidem, quod iſthoc perſpicuo, ac lucido fonte, ubi faces extinctæ Sæcularium accenduntur; accenſæ Monachorum extinguantur. His ergo ſuperſedeo modò, quippè ſæpeſæpius nobis in opere ſermo.

Non obtinebit Monachus finẽ inſtitutionis, dum idola coluntur in ara pectoris.

Cauſin. Epiri fons celebris.

Pudor eſt quod lãpas Religioſi extinguatur, ubi ſecularis accenditur.

Senec.

DIDASCALIA XX.

Quàm ſerum eſt tunc vivere incipere, cùm deſinendum eſt mori!

Senec.

1 SIc Seneca de *Brevit. vitæ*, cap. ult. igitur vitia potiùs dimittunt, quàm à prævaricatore dimittantur. Urgente hoſte, quid conſilij ac lucis eſſe ſolet in mente caliginoſa, ut ponat coràm tenebras in lucem, & prava in recta? Hoſtis habes muros. Si dum potuit, non pœnituit; turbato cerebro æſtu cogitationis, urgentia febris, ut congruum eſt, pœnitebit? Calliditatem inſidiantis homo caveat; pœniteat, ut non pœniteat; ſeriò pœniteat, ne peniteat ſerò, *Cràs* longum eſt, & breve. Longum, quia ſemper cràs; & breve, quia cràs non ſemper; regnatque peccatum in mortali corpore, dilatione (cogitata, & incogitata) pœnitentiæ. Eſt ergò peccatum; nec enim eſt homo, qui non peccet. Regnat (quod noxius) ſi intuitu facilis evaſionis decurſu temporis, fiat peccandi habitus, à ſubiecto difficilè mobilis. *Qui pœnitenti* (ait Gregorius Magn. Homil. 12. *in Evang.*) *veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſsit.* Peccator ſanè obduratur, dum ab illo hodie vox Domini non auditur. Patientia Dei illum ad pœnitentiam adducit, & procraſtinatione veſanâ, abutitur Dei patientiâ. Uſquequo delicijs diſſolveris filia vaga? Dicis cum obdurato Pharaone, *Cràs*? cras reſurgam, cras vivam? Vive hodie: ſera vita eſt craſtina, vel non vita. Præſentia eripit, dum ulteriora promittit.

Pœnitentia ſera periculoſa.

Greg. Mag.

Craſtina vita, non vita.

Exod. 10.